



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

23. S. Philippus Bennitius

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

XXIII. Augusti. S. Philippi Bennitii. 495

Familia, omnia hodiernæ diei opera,  
preces, & sancta suffragia per manus Di-  
vi Bernardi Deo, Mariæ, & Benedicto of-  
feramus cum Cantico: *Benedicite omnia  
opera Domini Domino &c.* O gratum fi-  
lii obsequium!

Festum S. Philippi Bennitii Or-  
dinis Servorum Mariæ propagatoris  
Vigilantissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**V**ix natus, Mariam ore laudavit, & ut  
hujus famulis daretur eleemosyna,  
Matrem suam rogavit. Et hoc est uti  
linguâ sanctissimè. Deo, Mariæ, & pro-  
ximo si non impendatur, excindatur,  
& in ignem mittatur; quia scandalum  
est!

*Instructio meritoria.*

Tollamus hoc grande malum. Cure-  
mus infirmum sollicitè membrum. Quo-  
modo? Hodie specialiter cavendò, ne  
vel verbum loquamur, vel audiendò ad  
cor admittamus, quod foret contra cha-  
ritatem proximi. Quin si & ex incuria  
delinquemus, sine mora satisfaciamus  
**intra**

496 XXIII. Augusti. S. Philippi Bennitii.

intra cubiculum , vel coram Sanctissimo  
nos prosternendô , & prostratô corpore  
*Psalmum Miserere* expansis brachiis re-  
citandô. Linguam ut parcam , man-  
suetam , & prudentem obtineamus S.  
Rosarium Dolorosum offeramus. Passio  
Domini sit , & regnet in corpore nostro!

II.

**Q**uis fidei , & charitatis Divinæ dila-  
tandæ ardor , & spiritus in nobis?  
O si S. Philippi ! Hic Dei famu-  
lus per universam penè Europam , ma-  
gnámque Asiaræ partem tum evangelicis  
prædicationibus , tum vivis virtutum  
exemplis , & indefessis laboribüs cultum  
Christi , & Mariaræ promulgavit , promul-  
gatámque insigniter confortavit. Fili-  
mi ! quid nos pro Christo , pro Maria  
heroicè attentavimus ? Et tamen Deifa-  
muli nominari cupimus , & esse ?

*Instructio meritoria.*

Dilecte ! Licet adhuc compensare neg-  
ligentiam. Quomodo ? Christum quo-  
tidianô sacrificiô , & matutinâ intencio-  
ne veneremur , Mariam S. Rosariô , &  
officiô sive majori , sive minori colamus

per-



perpetuō, hominibus eximiā virtute, & vitā exemplari præluceamus : Et Christum, ac Mariam per nos vivere, & glorificari, sciamus. In aliqualem, quam præstemus hodie, satisfactionem, Jesu, & Mariæ offeramus Coronam triginta tribus Ave, & quinque Pater constantem. Coronemus nos rosis, quæ nunquam decidunt.

### III.

**R**Ara virtus, perfecta proximi charitas ! Eminuit in S. Philippo. Plurimas Italiæ percurrit civitates, gliscentes in eis civium discordias componit, rebelles ad Romani Pontificis obedientiam afficit, perditissimos è vitiorum cœnō ad pœnitentiam, & Jesu amplexum adducit. O quot genuini amoris effectus ! ô si vel unicus esset in nobis ! Fili ! non desperemus ! Omnia possumus in eo, qui nos confortat, & diligit.

### Instructio meritoria.

Quoties discordias excitavimus & nos ? En ! diem opportunissimam, ut satisfaciamus. Jesus, & S. Philippus sic jubent. Impediamus hodie, quidquid tur-

498 XXIV. Augusti. S. Bartholomæi Ap.

turbare posset fraternalm pacem , & charitatem. Studiō , & reflexā intentione frequentemus conversationem , bonos. que discursus aut incipiamus, aut ab aliis inceptos zelosè promoveamus. Quid charitate , & pace pretiosius in Christiana aliqua communitate? Ut consecremus, unam extraordinariam visitationem Sanctissimi Venerabilis hodie assumamus. Ecce ! in templo habitat, qui mandavit : *Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Joan. 14.

### Solemnitas S. Bartholomæi Galilææ , & Armeniæ Apostoli.

#### EXHORTATIUNCULA I.

**P**Ellem pro pelle! dilectem! Sic jubet Divinus amor. Exuamus veterem hominem , & induamus novum, seu spiritum Apostolicum S. Bartholomæi. Si cuti, si corpori nostro timemus, heu! nunquam virum induemus Apostolicum. Si non : Ad quid venimus?

Uc

